

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Vota Et Omina, Quae Serenissimorum Conjugum Ludovici Georgii Marchionis Badensis & Hochbergensis ... Et Mariae Annae Marchionissae Badensis & Hochbergensis ... Primogenito Principi Carolo Ludovico ...**

**Ludwig Georg <Baden-Baden, Markgraf>**

**[Rastatt], [1728]**

Vota & Omina. In Annum Septimum Conjugii Serenissimorum Conjugum

[urn:nbn:de:bsz:31-11001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-11001)



# VOTA & OMINA.

*In Annum septimum Conjugii Serenissimorum  
CONJUGUM.*

**Q**uartus fluxit Racheli septimus annus,  
Postquam Josepho nobilitata fuit.  
Filius accrescens Joseph, spes una parentum,  
Delitiæ Matris, delitiæque Patris.

Et soli confisa Deo, mihi filius alter  
A Domino dabitur, dixerat inde Rachel.  
Nunc Lodoice tibi, nunc Annæ septimus Annus,  
Ex quo vos jungunt dulcia vincla thori,  
O felix Annus, quo vis felicior, in quo  
Accrescens nobis filius axe datur.  
Nec satis à Domino post Annæ filius alter  
Addetur, patriæ spes columénque suæ.

LVDovicO & Marlae annæ slt paX & saLVs.

## *In Mensem.*

Augustus dedit Augustum, non omnino vano,  
Ausibus Augustis facta paterna dabit.

## *In Tempus anni.*

Natus es ô Princeps, dum dique deæque superba  
Munera jactabant uberiore sinu.  
Nam seu quos genuit fulvos terra aurea ramos  
Spectes, seu ramis pendula poma suis:  
Sive tuos, queis victor ovas, jam Bacche triumphos,  
Turgida seu spectes cætera dona deum.  
Quid nisi, Badenses, solatia dulcia restant  
Hoc nato nobis aurea sæcla fore.

C

*In*

## In Diem.

Ipsa dies, quã turbã parat celebrare Ministrum  
Festum Ludvici, gaudia summa tulit.  
Votum erat hoc patriæ, votum Matrisque, Patrisque  
Nancisci prolem, quæ Patris ora ferat.  
Id quodsi renuant sortis malefida sinistra  
Omnia dent quamvis, fata dedere nihil.  
Te, Deus Omnipotens, moveant lacrymæque, precèsque,  
Quas nos, quas fundit subdita terra tibi.  
Non mihi, non mundo, cœlo sacrabitur uni,  
Defensor veræ Relligionis erit.  
Submissas, Lodvice, preces exaudiit Æther,  
Audiit, est votis Anna potita fuis.  
Nam dum concertant studiis properantibus omnes  
Ex animo festum concelebrent diem;  
Atque tui, Lodoice, tibi monumenta daturi  
Obsequii ferant, prævenit axe Deus.  
Vix dum Mysta facer, sacrã super obtulit arã  
Hostiam & ardentes fuderat ore precès,  
Cum devota suo sese abdidit Anna cubili,  
Et superos omnes in sua vota evocat.  
Sensit open, sacrásque manus, superumque favorem,  
Atque novum Samuel Anna beata parit.  
Regia frons illi, geminæ sunt lumina stellæ  
Atque nitent similes labia verenda rosæ.  
Hæc sunt missa poli Lodoico munera, quorum  
Lætitiã fieret faustior inde dies.  
Hinc resonat læto circum omnis terra tumultu,  
Saltarunt juvenes, exiliere senes.  
Hæc Lodoice dies aureo signanda lapillo,  
Quando Genethliacum munus ab axe datur.

*Aliud.*

Es Lodoice olim velut alter Apollo locutus  
Verbãque fatidicã talia mente dabas.  
Si lux festa mei celebratur Nominis: Uxor  
Nostrã progeniem gignet in arcẽ novam,  
Ut prædixisti, prolem dedit illa sub auras.  
Sæpius optamus, talia verba feras.

*Aliud.*

Munera non potuit Conjux Marianna Marito  
Natalizanti nobiliora dare:  
Nominis in festo est enixa Puerpera Natum,  
Qui Magni Patris Nomen & Omen habet.

In

## *In festum & Nomen Ludovici.*

En Lodoice tibi, Lodoicum, ipso Lodoici  
Festo, quis credat, misit ab axe Deus:  
Patris ad exemplum Magnus Lodoicus in orbe,  
Magnus & in coelis is Lodoicus erit.

## *In diem Mercurii.*

Lux sacra Mercurio Natalis erat Lodoico,  
Mercurius Divum Nuntius esse solet,  
Nuntius haud poterat Patriæ felicior esse  
Quam tanti Partus qui nova fausta tulit.

*Aliud.*

Mercurii festiva dies te contulit orbi,  
Hanc Mars præcedit, ponè sequente Jove.  
Omne felici: superos Lodoice perenni  
Obsequio in vera Religione coles.  
Nec minus in bellis imitabere facta tuorum  
Debellans hostes, Marte favente tibi.  
Hinc quæ fama tuos toto de prædicat orbe,  
Extremo faciet te superesse rogo.

## *Ad Serenissimam Matrem.*

Anna dedit quondam post plurima vota Mariam,  
Quæ fuit innumeris gentibus alma salus:  
Et Marianna dedit post vota creberrima partum,  
A quo dependet tota salus patriæ.

## *In horam.*

Hora secunda fuit, Patri, Patriæque secunda,  
Marchia quando Neo-Principe læta fuit.

## *In tempus pomeridianum.*

Non audita polo vidi miracula Badensi,  
Post aurora meri surgere visa diem.

## *In noctem subsequentem.*

Hactenus arentes torreat Syrius agros,  
Lanquebat donis Thyrsiger ipse suis.  
Ast quæ nox ortum CAROLI, festumque secuta est  
Patris, agros pluviam fertiliore rigat.  
Cum populis una ter felix Marchia plaude,  
Largifluè CAROLUS sic bona cuncta pluet.

## *In Patriam.*

Stupenda res est: Marchia Principes  
Quotquot paterno non habuit solo  
Natos, brevi fato relictos  
Funerea tumulavit urna.

Lætare Princeps CAROLE, Patriæ  
Lætare nascens in meditullio,  
Constantiori fors favore  
Nestoreos tibi spondet annos.

*In locum Nativitatis.*

Natus Raftadii, Neo-Princeps, sede quietis,  
Ut famuletur ei semper amica quies.

*In Marchiam.*

Devicit hostes Marchia plurimos;  
Victrix coronâ cingitur; hæresin  
Ferale monstrum ad sempiternum  
Exilium generosa damnans.  
Prolem dedisti jam quoque Maseulam  
Deus; sacratas hinc cumulat tibi  
Jam pane, jam vino incruentas  
Melchisedech Damianus aras.

*In signa cœlestia.*

Virgo dedit CAROLUM, virgo cœlestis ab Anna  
Devota semper sollicitata prece.  
Virgo sacra tuas semper venerabitur aras,  
Semper erit CAROLUS Virginitatis amans.  
Virgo dedit CAROLUM, virgo comitante leone,  
Et pius & fortis CAROLE noster eris.  
Virgineum sequatur signum super Æthere libra;  
Tutor eris recti, justitiæque tenax.

*Votum ad Serenissimum Neo-Natum Principem.*

Benignioris fideris halitu  
Te servet Æther: fluctibus obruta  
Dum Ponticis Helle natabit  
Aurifluis Pyroëntha loris  
Dum per coluros Æthereos aget  
Phœbus: quot Hyblæ mellifici thymum  
Furunculi fugunt, quot ore  
Sulphureas vomit Æthna flammæ.  
Quot ex odoro vulnere lacrymas  
Sudant Idumæ balsama, quot Ceres  
Ennea flaventes aristas  
Falce metit Siculos per agros,  
Formidolosi nescia spiculi;  
Tot lustra vivas CAROLE, plurimum  
Fratrum coronâ gloriosus,  
Albi comos recreans Parentes.

Crescat recens natvs Carolvs LYDOVICVS prinCeps BADENSIS.